

**Zeitschrift:** Basler Zeitschrift für Geschichte und Altertumskunde

**Band:** 79 (1979)

**Artikel:** Zwischen Erfahrung und Spekulation : Theodor Zwinger und die religiöse und kulturelle Krise seiner Zeit. 2. Teil

### **Anhang**

**Autor:** [s.n.]

**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-118001>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 07.10.2024

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

## Anhang

Es folgen hier einige Belegstellen aus den Quellen, die ihres Umfanges wegen nicht in den Anmerkungen gegeben werden konnten.

## 1

*Th. Zwinger, Methodus apodemica, Basileae 1577, f.α2v-α3v (zu Anm. 6)*

Ab uno ente primo, quo ad essentiam suam Potente, Sapiente, Bono; quo ad accidentia, Infinito, Immoto, Aeterno, reliqua entia omnia, Homerica quadam catena dependent. Et illa quidem respectu essentiae, quam a perenni illo fonte sumpsere, et Possunt et Sciunt et Volunt ea ad quae creata sunt Agere Patique. At respectu accidentium, Finita loco, Tempore circumscripta, et quia ad ortus sui principii redire debent, perpetuo Motui, qui in Quietem tendit, subiecta existunt. Inter hos rursus secundorum Entium gradus, pro varia perfectionis ratione, alii maiorum, alii minorum gentium esse, in Corpora quinetiam et Spiritus universim distingui posse videntur: ut illa quidem (siquidem homo ex Protagorae sententia ἀπάντων μέτρον est) sensu, haec sola intelligentia apprehendantur. Nam Cabalistarum illud, Hominem universi vinculum esse, proprie quidem de Messia benedicto, Dei ab aeterno, Hominis in tempore filio, inter τὰ ἀγέννητα et γεννητὰ medio, et proinde omnium mediatore, pronunciatum: magno quinetiam illi Homini, omnia suo ambitu complectenti, cuius Caput Supra coelos, Cor In coelis, Manus ad Ortum et Occasum, Ventrem in Elementis, Pedes in Centro terrae, historica ratione Trismegistus constituit, accommodatum; non minus de certo et definito gradu Entium, inter τὰ νοητὰ et αἰθητὰ medio, de Homine scilicet proprie nuncupato, intelligi posse atque debere, tum ratio convincit, tum auctoritas philosophorum, sed Aristoteles imprimis persuadet, qui Propter hominem omnia quodammodo facta esse asserere non dubitavit: multo maiora prolaturus, si huic ipsi non coelestia tantum corpora sed et aeternas intelligentias ministrare, quodque humanum captum prope superat, si Dei aeterni aeternum et consubstantialem filium eiusdem fratrem fieri, Revelationis sacrosanctae radio illustratus agnovisset. Spiritus igitur ad divinitatem proprius accedentes (quos et quia intelligendo maxime valent et intelligendo tantum percipiuntur, Intelligentias vocant) superiorem universi circumferentiam occupant. Corpora vero ad centrum proprius, sed certis et ipsa distincta gradibus et intervallis accedunt, sensibus non uno modo exposita et subiecta; Coelestia nimirum non ipsa per se, cum purissimorum illorum impressiones et suscipere et propter densitatem retinere queant. Pro vario iccirco seminum coelitus in centrum usque transmissorum natura, ex primarum qualitatuum perpetua actione, passione, mistione, attemperazione, varii corporum gradus consurgunt, Lapides, Metalla, Stirpes, Animalia. Inter quae principatum homo obtinet, idemque etiam inter caduca et aeterna medius, divinae essentiae Imago et Similitudo, per quem ceu Dei

terrenum vicarium omnia ad Deum tum Agendo tum Contemplando redire debent. Cum igitur homo non influxum tantum divinum sed et ipsummet Deum recipere aptus sit (id quod soli Christo Opt. Max. per naturam, caeteris per Spiritus gratiam contingit) et inferiorum quinetiam entium omnium gradus aequivalentia complectatur: reliqua autem omnia propter illum, ipse propter Deum, qui ei coniungi voluit, creatus sit; praeterea omnis motus ad certum finem destinatur, finis profecto universi is erit, ut AB UNO omnia, AD UNUM tandem redeant omnia. Quod ipsum non ratione circumferentiae, non centri, sed ipsius fiet medii Hominis. Quando homo, qui per Christum Deo coniunctus est hypostaticè in hac vita, eidem in altera vita per gratiam quoque coniungetur, donec cognoscat sicut cognitus est.

## 2

*Oswaldi Crollii Basilica Chymica, Frankfurt 1609 (zit. Ausg. Frankfurt [1611], 61bis – 62bis (zu Anm. 156)*

Sicuti Philosophiae vulgaris Terminus non in Aristotelem collocatus est, ut solide demonstravit P. Ramus: sic nec totius Naturae Lumen, teste Paracelso, in solo Galeno est exhaustum. Libertatem humani ingenii, Naturae Lumen, discernendi iudicandique facultatem, homines hominibus eripere non debent, desiit enim Monarchia Graecorum. Ideo qui in arte medica excellere cupit (si quidem nemo potest veraciter doctus evadere, qui in unius duntaxat facultatis rudimenta jurat) ab omni sectae genere debet esse alienus, nec jurare alicujus auctoris sententiam, sed nudam tantum Veritatem sectari eique subscribere, semper memor illius Horatiani:

Quo me cumque rapit tempestas deferor hospes  
Nullius addictus jurare in verba magistri.

Nec aliorum inventa, uni sectae adhaerendo, in universum reiicienda sunt, sed omnes sectae, quotquot sunt, familiariter sunt agnoscendae, cum secundum nobilissimum ac sapientissimum Philosophorum phoenicem Picum Mirandulanum, profundissimi ingenii et multiplicis eruditionis inimitabile exemplar, in unaquaque familia sit aliquid insigne, quod non sit ei commune cum caeteris: Nullus liber tam malus et abjectus qui non aliquid boni saepe a praestantissimis auctoribus neglectum in se contineat: Aetas posterior, ait Fabius, priori amplius erudiendae laboravit, et dum ipsae scientiae cum ingeniis crescunt, multo Ethnicorum turpissimos errores, postea sapientior proles, tanquam secunda spongia abstersit: Neque dubium, plura adhuc delitescere in Sapientiae et Naturae Thesauris occlusa (Temporibus et Nationibus in saeculi consumptionem immutabili lege destinata) sagacium hominum conatibus eruenda, quam quae nostris sensibus sunt pervia. Natura siquidem, cum sit circularis, difficulter ab ulla mortalium ob vitae brevitatem integraliter comprehendi poterit: Haec cum ita sint, neutrorum sive veterum sive Theophrasti Medicina in totum reiicienda: neque sic amplectenda, ut si quae alia inventa fuerit melior, huic quoque locum relinquamus, quia dies diem docet, et secunda

prioris magister est, ambae simul sunt conferendae, et quicquid melius in utraque fuerit retinendum. Homines cum sint, humana quoque patiuntur, alicubi errant, alicubi contraria et pugnancia scribunt, nonnunquam a se ipsis dissentiunt, in multis hallucinantur, nec omnes omnia vident. Solus Spiritus sanctus plenariam omnium scientiam habet, qui distribuit omnibus secundum certam mensuram, et spirans ubi vult, multa sibi reservat, ut semper nos habet sui discipulos.

## 3

*Andreas Libavius, Exercitatio paracelsica nova de notandis ex scripto Fraternitatis de Rosea Cruce, in: idem, Appendix necessaria Syntagmatis Arcanorum Chymicorum, Francofurti 1615, 289 f. (zu Anm. 158)*

Fratrum in omnes terras sapientiae causa emissorum studium est laudabile. Sed si hoc modo putatis vos posse complere Philosophiam vestram, quanto magis compleverunt suam veteres? . . . In Physica nescio an amplius quid restet. Scrutati sumus iam a primo Tubalcaino mineralia, et fere ad manes usque descendimus: metalla, gemmas, succos, lapides et alia mira copia eruimus: Imo veteres videntur nobis ea in re feliciores fuisse. Quis enim est, qui possit gemmarium eorum explicare? Si socii Fraternitatis Roseae Crucis sunt emittendi, non tam ut sua axiomata examinent emittendi sunt, quam ut indagent ea, quae veteres sciverunt, posterius amiserunt. Simile iudicium est de plantis et animalibus, in quibus omnibus quicquid axiomatice cognosci potuit, cognitum est . . . Dicam ego pro me cum vestra bona pace sententiam. Si adhuc examinatis vestra axiomata, suffragia quaeritis apud eos, qui sunt de saliva vestra, et observationes venamini, nego vos SCIRE. Ratio: Quia scientia est ex principiis et immotis per se veris (loquar de Philosophia et univoca scientia). At vos emendicatis principia, et petitis per universum mundum non in scholis sapientum, sed conventiculis Paracelsistarum et apud eos, qui sunt similes Haselmeieri. Nego iure vos scire, et tandiu negabo, quando non afferetis principia immota. Si nescitis ea, quae sunt ante pedes, qui scietis futura? An non Magia malefica praegnantis estis? An non sapitis id, quod Magus Paracelsus, Tritemius, Agrippa, Artefius, Techellus, Crollius, Simon Magus, Elymus, Pythonissae, et similia diaboli pecora? Ne arbitremur, facite, ut vestra axiomata non sint daemoniacae et apparentis, sed verae et divinae humanaeque sapientiae.

*Aus Bartholomäus Sclai, Theosophische Schrifften, (Amsterdam) 1688 (zu Anm. 180).*

Alle unsere Worte und Wercke sind nichts als ipsissima Magia, und wie wir seyn, so ist die Magia auch; so wie wir keusch und nüchtern leben, so ist unsere Magia rein und gut; wo nicht, so ist sie nichts als Zauberey uns und andern . . . Unsere Worte sind von grosser Krafft und Macht, vermögen viel auszurichten und stifften grosse Wunder im Himmel und auff Erden. (S. 782).

MAGIA (ex Maria) Christus Magus, Magi summi magicus proge-  
 nitus  
 Solis Magis manifestus, non-Magis incognitus,  
 Recens natus sese ostendit Magis et Pastoribus:  
 Quimet ipsi transformati veri Magi facti sunt.  
 Magica sunt omnia summi Magi Eloquia.  
 Magus Magejam efflavit, ex Mago silentio.  
 Solis Magis haec sunt nota: non-Magis abscondita.  
 Audient Magi Venite; non-Magi audient Abite.  
 Calcant Magos hic non-Magi, Magis nil curantibus:  
 Magi non-Magos calcabunt in futuro seculo  
 Non-Magi Magum rogate, quo vos Magos asserat,  
 Ne non-Magos, vos damnatos, summus Magus ardeat. (S. 815).

## 5

*Ludovico Lazarelli, Vademecum, in: Testi umanistici sull'ermetismo (Archivio di filosofia), Roma 1955, 75–76 (zu Anm. 190)*

Hec autem tria arcana nihil aliud sunt quam id quod Picatrix dicit in libro suo, qui dicitur clavis sapientie: sive coniunctio corporis in corpore; coniunctio spiritus in corpore; et coniunctio spiritus in spiritu. Coniunctio corporis in corpore est coniunctio carnis celestis sive quinte essentie cum corpore terre virginee et purificate; sic quod resultat lapis philosophorum, et hec est magia naturalis de qua agunt omnes alchimiste; coniunctio spiritus in corpore est coniunctio et attractio spiritus planetarum in sibi convenientes corporeas ymagines ex quibus mirabilia resultant, et hec est magia celestis in qua excelluit Zoroaster, qua etiam docet Thebith, Cembes Ptolomeus, et complures alii; coniunctio spiritus in spiritu est coniunctio et sinaxis spiritus Dei cum spiritu hominis, et hec est magia sacerdotalis et *divina*, de qua omnis sacra scriptura parabolice tractat. Sed presertim veritatis preceptor, imo ipsa verita Christus Iesus in suis evangeliiis exprimit et testamento suis discipulis delegavit.

## 6

*Francisci Georgii Veneti minoritarum familiae de harmonia Mundi totius cantica tria, Parisiis 1544, 380v (zu Anm. 191).*

Sed magna est magorum, aut mirabiliter operantium differentia. Sunt enim qui operantur ingenio, arte et doctrina: supplentes, aut accelerantes, vel augentes naturae opus si licet . . . Et isti magni, sapientes, aut veri philosophi dicuntur. Sunt etiam qui attentant ea, quae vires et humanam cognitionem transcendunt. Et hi ea quae nesciunt, et nequeunt sciscitantur . . . Alii autem virtute nominum divinorum adiurantes, ipsos daemones coartant . . . Alii vero non contenti inmundis daemonibus, meliores et mundas intelligentias asciscunt, vel ipsum Deum immediate, quod paucis

vel nulli datum est. Nam et Mosi omnium prophetarum summo loquebatur Deus per angelos . . . Et quod patribus illis faciebant angeli, nobis operatur virtus Christi . . . Hinc iussum est nobis, ut in nomine illo omnia faciamus. Nec enim hoc nostro tempore alia via faciendi miracula nobis relicta est.